

Tunc Dominus Patriarcha fecit illum Viderum D. Henricum Comitem Goriciæ Capitanum Generalem in Foro julio. Qui Dominus Comes congregato suo exercitu, ivit ad recuperanda super scripta loca, quæ detinebat. D. Varnerus de Cucanea pro expensis factis, ut dicebat, quando fuerat Vicedominus pro manutenebris locis praedictis. Et primo equitavit ante Tricesimum, & ipsum locum rehabet statim, scilicet die VI. exente Septembri. Deinde IV. die sequenti habuit Artiniam: & die III. sequenti habuit Tumecium, & Sclusam dictus Dominus Comes. Et omnia ista loca habuit pacis; quia dimisit detinentes ire cum bonis & personis, quæ possent portare.

*De impositione VIII. denariorum pro foco.*

Anno Domini M. CCC. X. Rev. Pater D. Ottobonus Patriarcha imposuit in Forumjulii VIII. denarios pro quolibet foco, & rota molendini, pro subsidio euendi ad Concilium generale, ordinatum per Papam Clementem apud Viennam: cui pecuniam, scilicet partem sibi contingentem, solvit Capitulum Civitatense de mense Februarii die.....

*De Montefalcone.*

Anno praedicto, in mense Februario, ivit cum exercitu suo Dominus Comes ante Montem falconem, & Castrum obsedit: & duravit ibi in obſidione circa XV. dies. Quem locum detinebant illi de Cucanea, ut praedictum est de aliis. Quem quidem locum detinentes, ut irent securi, dederunt Domino Comiti, quia non habebant alimenta, die ultimo Februarii.

*De Villalta.*

Anno praedicto, cum esset Dominus Comes cum exercitu suo apud S. Danielem, D. Odolricus de Villalta, qui erat de parte D. Rizardi, cum promisissent sibi vicissim ipse & alii de Villalta, non intromittere, nec dare locum suum alicui, nec sibi nocere in locis suis & in Villalta sub certis prenis, sed apud locum Juvaniz quemlibet quem vellet; intromisit bene centum pedites, quos sibi misit D. Rizardus. Quem locum Dominus Comes statim obsedit cum suo exercitu, & Communib; & Castellanis: & fuerunt mortui in ipsa obſidione quamplures, & maxime de Soldoneriis missis ibidem per D. Rizardum. Tandem videns D. Odolricus, quod se manuteneret non posset, ut irent securi quo vellet cum suis, locum suum die III. exente Martio tradidit Domino Comiti. In quo loco inventum fuit tantum bladum, quod est incredibile, & alia victualia: & inde omnibus asportatis, ubi placuit Domino Comiti, scilicet Utinum, fecit dirui ipsum locum: & D. Odolrico praedicto dedit D. Rizardus Castrum novum, quod habebat in pignore a Domino Comite supradicto.

*De Cavoriaco.*

Anno praedicto, statim diruto Castro supradicto, ut praedictum est, Dominus Comes obsedit Cavoriacum; & ipsum locum habuit, ut Villatam, die IX. Aprilis: & fecit ipsum dirui, & fossata destrui.

*De Cucanea.*

Cum esset adhuc Dominus Comes in deſtructiōne Cavoriaci, D. Odoricus de Cucanea venit XV.

die exeunte Aprili in nocte in Cucaneam: & unum locum furatus fuit D. Adalpreto, ipso existente infirmo, & portato apud Pertestans. Convenierant enim, & factæ erant bona securitates: quod DD. Thomas, & Adalprettus debebant ipsum locum custodire; nec DD. Varnerus, & Odolricus Fratres debebant ibi venire, nec inde debebat necere alicui. Et statim cum D. Odoricus habuit Castrum, combussit totam villam de Fagedis: & die sequenti venit Dominus Comes cum suo exercitu in villa Zeraci; & statim ibi aliquibus diebus postea secessit in Povoletto. Sui vero equi omnia blada villarum circumiacentium comedierunt, & destruxerunt: & sui deprædabant, & expoliabant tam amicos, quam inimicos. Qui Dominus Comes inde recessit, & ivit Goritiam die IX. Aprilis.

*De adventu Babanich, Cognati Domini Comitis.*

Venit Illustris D. Juan Cognatus Domini Comitis Goriciæ cum magna multitudine Babanicorum, circa VI. centos, ut dicebatur, die XIII. exente Majo, in Forumjulii sub Utino in villa Cusinachi in auxilium Domini Comitis contra D. Rizardum de Camino, & suos fautores.

Item die XII. exente Majo, Rev. D. Ottobonus Dei gratia Patriarcha, una cum D. Henrico Comite, & Babanich, & Forojuliensibus, exierunt Utinum cum magno exercitu; & transierunt Tulmentum in deſtructiōne inimicorum suorum: & exhibuerunt prælum D. Rizardo, qui erat in Sacilo cum suo exercitu, sed noluit acceptare. Unde cum non possent transire Luenzam, fuerunt ante Valvafonum, & fecerunt ibi satis magnum damnum. Sed cum nihil possent proficere, inde recesserunt. Et iterum venerunt ante Cucaneam in Festo D. Quirini die IV. Junii: & projiciebant cum Machina in Neboye continue; & factis multis & actis ædificiis, propterquod qui erant ibi intus, videntes quod se manuteneret non posset, in Vigilia SS. Joannis & Pauli de nocte, imposito igne in dicto loco, recesserunt, antequam accenderetur ignis, & iverunt in Cucaneam: & ita combustus fuit Neboye, & postea paucis diebus elapsis habuit Cucaneam.

*De verra & discordia orta inter D. Ottobonum Patriarcham, & D. Henricum Comitem.*

Anno Domini M. CCC. XIII. cum, sicut dicebatur, Dominus Patriarcha, existente Comite Capitaneo, fecisset cum Duce Austriae, & cum Paduanis, & Tarvisinensis quamdam juram contra Comitem praedictum; ideo quia loca Ecclesiæ Aquileiensis, videlicet Loss, Anspach, Montem falconem, Tricesimum, Artheniam, Sclusam, Tumecium, Faganeam, S. Vitum, Sacilum, & Canipam occupaverat, volens loca praedicta de manibus ejus eripere: & Dux Austriae in Tulmino debebat mittere Episcopum de Gurgh cum apparatu suo. Quod intelligens Dominus Comes, statim cum gente sua adiit Tulminum; & comburi fecit totam villam, existente in Curia Tulmini Ottobono nepote Domini Patriarchæ: & ipsam Curiam obsedit die XIII. Septembri. Sed cum locum non posset habere, nec intrinseci habere aliunde auxilium, finaliter concordaverunt taliter, quod irent securi cum personis, quo vellent. Et sic Dominus Comes habuit locum ipsum, & Castrum die VI. Octobris: & dimisso ibi D. Paulo de Civitate pro Capitaneo, rediit Civitatem die VII. praedicti Mensis.